

Unicum superest aduersus alteram statutz Af-  
fertionis partem, quod nobis non leue negotium  
diu, multumque facessit, unde consicri posse vi-  
detur, Paradisum Terrestrem non alio singulari  
loco contentum fuisse, sed uniuersum potius Or-  
bem prima sui creatione complexum esse. Enim  
vero quatuor Flumina primam e Paradiso origi-  
nem duxisse Moyses ait; Phison, seu Gange-  
( ut quidam putant ) Gehon, hoc est, Nilum  
( ut pariter Aliquibus placet ) Tigrim demum,  
& Euphratem, quibus sua superfunt primigenia  
Nomina: at impossibile videtur omnino, Flu-  
mina quatuor amplissima, longe a se invicem  
distita, & aduerso etiam alveo decurrentia ( quod  
notandum magis ) communem ab uno, eodemque  
privato loco originem petisse. Ganges quippe in  
intima India fluit ab Euphrate, & Tigri, ultra  
quam dici potest, remotissime; Nilus in extrema  
Africa ab Austra in Septentrionem decurrit; Eu-  
phratis autem, & Tigris a Septentrione in Au-  
strum. Qua forte itaque fieri potest, ut ab uno,  
eodemque privato loco suam originem deriva-  
rint?

Gravis equidem Difficultas, qua magna etiam  
rorit Ingenia; at eam pervidit, & occupavit  
Doctor Angelicus 1. part. quest. 102. art. 1.  
ad 2.; ubi docet, Flumina illa quatuor sta-  
tim e Paradiso egressa Terraz visceribus ex-  
cepta esse, ubi occultis meatibus Terram  
diu fiunt, ac demum in remotis, dis-  
tictisque Regionibus rursum erumpunt; sic ut  
prima illorum scaturigo nos lateat, nec nisi  
secunda comperta sit. Quo fit etiam, ut aduersis  
alveis fluere possint, cum jam novam, atque di-  
stinctam originem habeant.

Responsum hoc ex SS. Patribus mutuatus est  
Doctor Angelicus; ex S. Augustino Lib. 8. de  
Genesi ad lit. cap. 7.; ex Theodoro Interroga-  
tione 29. in Genesim; ubi & rationem assignat,  
cur ita permisit Deus, ut videlicet superfluum  
hominum curiositatem amputaret Paradisi Ter-  
stris locum retegendi: si etenim paterent illo-  
rum Fluminum meatus omnes, primaque singu-  
lorum scaturigo, certe eorum Ripas longo veli-  
gum profectus nonnulli locum Paradisi, quem oc-  
cultum Deus Mortalibus esse voluit, attingere  
conarentur, ac re ipsa tandem aliquando post  
longum iter fortassis attingerent.

Quamquam tamen & id extra Miraculum, &  
secundum Naturam, evenire potuit, ut Terraz sta-  
tim meatibus quatuor illa Flumina absorberentur,  
subtusque diu fluere antequam secundo erumpere-  
rent; quod aliis permultis Fluminibus accidere  
narrant Lucanus, Plinius, Strabo, & alii natu-  
ralium rerum Scriptores bene multi; quin etiam  
nonnulla reperiri Flumina, qua subter Mare de-  
fluunt, ac demum salva aquarum dulcedine erum-  
pant, solitoque alveo decurrant, Scriptores ali-  
qui referunt. Quid ergo istud in hisce quatuor  
Paradisi Fluminibus demeritum?

Si quibus ea Responsio minus placet, tamen  
tot Adipulatorum auctoritate confirmata, altera  
facile suppetet, qua tota objecta Difficultas eva-  
nescet: per Diluvium scilicet horum Fluminum  
origines, & alveos pristino loco, motos esse  
alioque demum fluere, quam primitus ceperunt.  
Responsum hoc insinuat Theodoretus Interrogatio-  
ne 29. in Genesim.

Quamquam tamen vos admonitos volo, eam de  
Phison, & Gehon Fluminibus Interpretationem  
Viris eruditissimis, atque in Bibliis Dissertationibus  
vel mediocriter exercitatis minime nostris hisce  
temporibus arridere. Quapropter tota prolata Ar-  
gumenti vis evanescit, dum Flumina illa duo a Gan-  
ge, & Nilo alia profus esse desinunt.

De Paradiso Terrestri, qualis primitus fuerit,  
fatis diximus: Jam an superit etiamnum, an au-  
tem aquis Diluvii ex integro vastatus exciderit,  
proxima Exercitatione disputabimus: gravissi-  
mamque Difficultatem per tot haec saecula a  
Curiosis omnibus agitatam, necdum penitus eli-  
quatam, favente Divino Numine, resolvemus.

### PRÆLECTIO XI.

Incertum omnino esse, an Paradisus Terrestris etiam-  
num extet, definitur.

Qua solet Exulibus inesse amissa Patriæ re-  
cordatio, amara quidem, ac tristis, eadem  
illa de Paradiso Terrestri Viris omnibus  
religiosis, ac piis infidet. Quo statu res Patriæ  
sint, qua fortuna ferantur, quid in amicorum la-  
ribus immutatum, quid Casus novi tulerit, qua-  
ritare solliciti solent quorquet extorres a Patria  
procul absunt. Sic & nos, quos a Paradiso Ter-  
restri exules egit Protoparentum inobedientia,  
quo statu demum posita sit amissa felicitatis  
Inhabitatio, qua fortuna saeculorum primæva  
innocentia Domestium, diligentius investigamus.  
Verum quia nullos reperire est, qui ad nos us-  
que iter fecerint, vix quidquam certi de veteri  
Patria scire possumus. Sunt qui extare etiamnum  
contendant, eodem cultu, atque ornatu: alii pe-  
riisse nunciant, & aquis Diluvii olim immerfam  
esse, atque deletam. Quid inter hæc adversa  
nuncia statuamus? Quibus integram fidem dabi-  
mus? Agemus quod Virorum prudentum est in  
eo repugnantium Testium consuetudo: nulli crede-  
mus; nulli præstamus fidem; ac de illa curio-  
sorum Hominum tortis ventilata Controversia ita  
demum pronunciamus: Extet ne in hanc diem  
Paradisus Terrestris, an autem re ipsa perierit,  
perinde obscurum, & incertum est: affirmare  
pertinaciter, ac negare, ex æquo periculosum.  
Quod utique demonstrare facile erit, si quam le-  
vibus Argumentis utraque Sententia nitatur, ad  
oculum ostendamus.

Ac primo quidem, quam facile deludantur,  
qui Paradisum Terrestrem etiamnum extare per-  
suasum habent, ineluctabiliter demonstramus, di-  
stictis munitionibus, & aggeribus, quibus ea Sen-  
tentia vallatur.

Murus illis, & antemurale est Oraculum Ec-  
clesiastici cap. 44. Henoch placuit Deo, & trans-  
latus est in Paradisum. Ex quo colligere sibi pu-  
tant, extare etiamnum Paradisum; cum ad il-  
lum translatus Henoch asseratur. At id perpe-  
ram, & incausum. Colligant, si lubet, existisse  
Paradisum, quo tempore in illum translatus est  
Henoch; bene erit: cæterum cum sexcentis cir-  
citer annis ante Diluvium translatus Henoch as-  
seratur, quidni quoque fieri potuit, ut tunc qui-  
dem Paradisus extaret; subinde tamen inundante  
Diluvio perierit; atque idcirco in hanc usque  
diem minime perduravit? Quidni quoque dica-  
mus, Paradisi nomine, in quem translatus est  
Henoch, non Paradisum Terrestrem, de quo  
querimus in præsentia, sed quempiam alterum  
locum amonum Mortalibus impervium signifi-  
cari? Eo quippe nomine amœna plerumque loca  
in Scripturis designari legimus: sic Genesim 13.  
universa Regio Jordanis Paradisus Domini nun-  
cupabatur, antequam Sodoma, & Gomorraha sub-  
verterentur: sic Canticum 4. legimus: *Emisso-  
nes tue Paradisus malorum punitorum* . . . Quo-  
circa Rupertus Abbas Lib. 3. *Comm. in Genesim*  
cap. 33. eos severissime carpit, qui aliquid ex  
incipiti illo Vocæulo ad Fabulam istam vendi-  
tandam præsidium accipiunt, scribens: *nusquam*  
*Scri-*

Scriptura dat intelligi, quod illos ( scilicet He-  
noch, & Heliam ) Deus tulit in ipsum Paradi-  
sum, ubi comederent de ligno vite, & viverent  
in æternum: sed ita sublati sunt, ut in secreta  
quadam Terræ Regione duerentur, ubi in magna  
carnis, & spiritus quiete viverent, quousque ad  
finem Mundi redeant, & mortis debitum sol-  
vant.

Et quidem non adeo explicatum esse eum Ec-  
clesiastici locum, ut ex illo certi quidpiam ex-  
tendi possit, liquet veterum Patrum Testimonio;  
maxime vero S. Joannis Chrysoctomi, & Theo-  
doreti: quorum prior Homil. 21. in Genesim; al-  
ter *Questione 45. in Genesim* incertum profus esse  
docet, quoniam Deus Henochum transfulerit;  
ubi, & quomodo vitam ducat. Quod sane nun-  
quam illis venisset in mentem, si adeo eliquarum  
illum Ecclesiastici locum existimasset. Quid et-  
iam, quod Vox illa in Paradisum a Græco Tex-  
tu, qui tamen in Libro Ecclesiastici primigenius  
est, procul abest; nec aliud in eo legere licet,  
quam Henoch placuit Deo, & translatus est?  
Alia ergo, si lubet, alia Divinationis suæ præ-  
sidia querant, nisi turpiter ex acie decidere ve-  
lint.

Jam quid ex Patribus ad suum illud Assertum  
munierum accersant, perpendamus. S. Iraneum  
imprimis ostentare solent, qui Lib. 5. cap. 5.  
adversus Hæreses non modo Henochum, sed et-  
iam Eliam, qui Diluvio longe posterior est, in  
Paradisum Terrestrem translatus ait; atque ibi-  
dem ad hanc usque diem Cælestem vitam degere  
diserte docet; quin etiam ( quod notandum ma-  
gis ) ad Apostolorum Discipulis traditum at-  
testatur.

Addunt S. Justinum Martyrem *Quest. 85. ad*  
*Orthodoxos*; S. Athanasium in *Epistola de Decre-  
tis Nicæna Synodi*; S. Isidorum *Lib. de vita, &*  
*obitu Sanctorum*; Hieronymum *Epist. 61. Ver.*  
*Edit.*, nunc 38. ad *Pammachium*.

Verum & hæc omnia minus urgent, si non  
cursum, & defunctorie perpendantur. Iraneum  
imprimis quod attinet, dicam liberius ( salva  
que tanto Nomini debita est, reverentia ) me  
adduci haud posse, ut in re hæc illius Suffra-  
gium excipiam. Fortassis Traditio illa ( quam  
se ab Apostolorum Discipulis, quorum unus Pa-  
pias fuit, habuisse testatur cap. 5. & 31. Lib. 5.  
adversus Hæreses ) in æquivoco laboravit, non  
secus ac alia, quam ibidem exponit, de Justis  
cæteris, quorum animæ solutz corporibus in Pa-  
radiso Terrestri extremi Judicii diem expectatu-  
ra dicuntur, ut Dei aspectu fruantur. Equivocatio  
porro in eo sita esse potuit, quod Paradisi  
Terrestris nomine ( quantum attinet ad Heno-  
chum, & Eliam ) non quidem illum, in quo  
fuit Adam, Apostolorum Discipuli intelligendum  
vulerint, sed alium quempiam forte locum ter-  
restrem, ubi Deo in perfecta Charitate conjuncti  
sancti illi Viri, Divina contemplationi assidue va-  
cantes, Cælestem quamdam, & Paradisi propriam  
vitam agerent, periculis nullis obnoxiam, nullis  
Naturæ corruptionibus vitiatam, humanarumque  
penitus miseriarum expertem; qualem profecto  
Protoparentes in Paradiso voluptatis duxissent, si  
in accepta innocentia perseverassent. Hinc fieri  
fortasse potuit, ut Iraneus Discipulorum illorum  
Estatum, quod de Justis illis duobus ( Henoch,  
atque Elia ) in alio profus sensu intelligendum  
pronunciaverant, de Justis aliis etiam prolatum  
crediderit; ita ut, quemadmodum Propheta illi  
ad extremum usque Mundi tempus eo in loco vi-  
tam feliciter ducturi essent; ita & cæteri Justi  
pari modo usque ad universalis Judicii diem fuisset  
premium expectaturi: nondum etenim ab

Serry Tom. IV.

Ecclesia hujusmodi Error, qui Millenariis etiam  
adscribitur fuit, quique ex Patribus, præsertim  
Græcis, plures habuit Patronos ( ut apud Erudi-  
tos in comperto res est ) fuerat solemniter ritu pro-  
scriptus. Quandoquidem id dumtaxat contigit in  
universalis Synodo Florentina, anno circiter mil-  
lesimo quadringentesimo trigesimo nono sub Eugenio  
IV. celebrata, ut notat Franciscus Fervardentius  
ad cap. 31. ejusdem Lib. 5. Iraneus adversus  
Hæreses; qui quidem annus fuit post Iraneum  
circiter millesimus ducentisimus sexagesimus. Id  
ni dicamus, alterutrum affirmare cogemur; nimi-  
rum, vel universalem Ecclesiam in Spiritu Sancto  
congregatam errasse in damanda Doctrina ab  
Apostolorum Discipulis tradita; quod quidem im-  
pium esset asserere; vel mendacem fuisse Iraneum  
in ejusmodi Traditione asserenda; quod inexcusa-  
bilis temeritatis piaculum foret. Scio, Aliquos  
Traditionem admittere, eaque deceptum Iraneum  
contendere: sed Traditionis auctoritatem respue-  
re; propterea quod Papias, ejusque Sodales Joan-  
nis Apostoli verba perperam intellexerint, inge-  
nuique fuerint admodum tenuis. Sed unde hoc  
probet, non video; atque idcirco id affirmare  
omnino non audeo.

Cæterorum Patrum objecta Testimonia minus  
cogunt, tum quod adversis aliorum Patrum opo-  
situm sententiarum Testimoniis oppugnentur; tum  
quod fallacibus ad id atruendum Momentis addu-  
cti videantur. De singulis pauca dicam.

Ac Justinum quod interest, perperam ille pro-  
ducitur in oppositum: ejus quippe non sunt Quæ-  
stiones ad Orthodoxos, e quibus objectum Testi-  
monium petitur, sed Auctoritas admodum recen-  
tioris, uti Viri Criticæ Scientiæ periti satis no-  
runt. Nec feliciori calculo annumeratur Isidorus,  
cujus venerando Nomini suppositus est Liber de  
vita & obitu Sanctorum, unde præsidium petunt:  
qua de re legendus est Cardinalis Baronius in  
Annalibus ad annum 816. & in Notis ad Mar-  
tyrologium Romanum ad diem 1. Maji, & 25.  
Augusti: Athanasius, & Hieronymus Paradisi su-  
perstitis Sententiam alius minus probatis Opinio-  
nibus cumulant; atque idcirco fidem minus in-  
tegram hæc in re faciunt. In illum enim Pa-  
radisum non solum Henochum translatum ajunt,  
verum etiam Paulum Apostolum illo raptum existi-  
mant, dum in tertium Cælum elatus audivit ar-  
cana verba, de quibus ipse in Epistola sua ad  
Corinthios scribit: Latronem etiam penitentem  
in eundem Paradisum sublatum opinantur, de quo  
Christum locutum fuisse volunt, dum in Cruce  
pendulus ait: *hodie mecum eris in Paradiso*.  
quæ duo, nemo est, qui ex Divinis Scripturis  
facile non revincat. Paulum enim non in Pa-  
radisum terrestrem, sed Cælestem raptum esse,  
Scriptura clamat; nec ut deliciis corporalibus,  
quales in illo dicuntur esse, fruatur, sed spirituali-  
bus; utque verba arcana audiret, quæ non li-  
cet Homini loqui. Latro quoque penitens in  
eum Paradisum, seu verus in eum locum tradu-  
ctus est, in quem Christus triduo mortis descen-  
dit. Nemo vero dixerit, Christum eo triduo in  
Paradisum terrestrem transvolasse. De Tertullia-  
no, qui etiam in ejusdem Sententiæ patrocinium  
adducitur, res in propatulo est; illum scilicet eo-  
dem cum Iræno arasse vitulo, & Paradisum et-  
iamnum superstitem existimasse, ut in eo animæ  
Justorum corporibus solutz ultimam Corporum  
Resurrectionem præstarentur; qui Error non-  
nullis, ut dicebam, priorum sæculorum Pa-  
tribus proprius fuit, quo tempore universalis Ec-  
clesia nondum ea de re ultimam Sententiam dixe-  
rat.

Longe minus auspiciato conjiciunt, qui ad Pa-  
radisi

radisi terrestris perduratiorem adstruendam aliquid praesidii repetunt ex religiosa Ecclesiae Disciplina, quae Fideles vestri ad Orientem, ubi Paradisus Terrestris situs erat, orare solent. Equidem ex ea persuasione, quod Paradisus ad Orientem situs esset, sacrum illum Ritum originem habuisse, testantur Ecclesiae Patres, S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 2. Mystagogica*; S. Basilus *Lib. de Spiritu Sancto cap. 27.* S. Gregorius Nyssenus *Orat. 5. de Dominica Oratione*; S. Joannes Damascenus *Lib. 4. de Fide cap. 13.* Hinc, inquam, manavit ille Ritus; ut quemadmodum Adam e Paradiso pulsus post peccatum, ad eandem Plagam obversus, & eo respiciens veterem Patriam suspirabat, ac memor, unde cecidisset, compungebatur ad penitentiam; ita & Christiani fe in hoc Mundo exules esse meminerint, & ad Caestem Patriam aspiciunt. Verum nihil id ad praesentem Paradisi Statum attinet; idque probat unum, in ea Paradisum Mundi parte primitus situm fuisse: quod & ulterio fatemur; an autem etiamnum extet, nihil ex eo Capite definiere licet.

En elisa Momenta potissima, quibus Paradisum Terrestrum in hanc usque diem superstitem Aliqui putant. Nunc in Alios castra vertamus, nihilque firmiter niti praesidiis demonstramus, qui eundem illum Paradisum periisse certo definiunt.

Vim illi pene totam in Diluvii inundatione ponunt; quae cum universam Terram vastavit, atque deleverit, Paradisum quoque Terrestrum vastasse colligit, atque decernunt: *Et aquae prevaluerunt nimis super Terram*, inquit Scriptura *Genesis cap. 7. operisque sunt omnes montes excelsi sub universo Caelo.* Ex hac universali porro Sententia vel ipsam Paradisum excipere, periculosum esse putant; cum sic ansa daretur, Scripturae Sacrae Fidem, ac Veritatem variis exceptionibus pro cuiusque arbitrio eludendi. Quin etiam percontantur, quae vi, quibusve machinis, & aggeribus, quo denique portento retenta esset aqua, ut intra ceteras Regiones subsistens, & in altissimos Montes elata Paradisi Terrestris claustra non perumperet, illoque exundaret? Sic sibi videntur illi nervose admodum disputare, ut Paradisum terrestrum aquis Diluvii immersum, atque deletum ostendant. At, iudicio quidem meo, conatu profero irritum. Qui etenim nullam vel minimam universali, ac definitae Scripturae Sacrae Propositioni exceptionem afferri volunt, ut Paradisum terrestrum ab aquis Diluvii liberum faciant; nullumque miraculum profiteri volunt, quo aquae Diluvii extra Paradisi terrestris claustra continerentur; exceptionem alteram longe graviolem, miraculumque longe majus comminiscuntur, ut suam ipsi Sententiam ex aquis Diluvii servent incolumem. Enimvero Henochum (quem annis ante Diluvium sexcentis sexaginta novem translatus esse, liquet ex Scripturae Sacrae computo, in aliquem Terrae locum) aquis Diluvii non periisse, certissimum est, quocumque tandem in loco fingatur esse, quocumque translatus supponatur; cum is a Deo alibi servetur in Terris, ut det Gentibus penitentiam. Universalis nihilominus, & indiscreta Propositio est, quae omnium profero hominum, & animalium interitum in ea Diluvii Catastrophe Scriptura memorat: *Genesis 7. consumptaque est*, inquit, *omnis caro, quae movebatur super Terram. . . . universi homines, & cuncta, in quibus spiraculum vitae est in Terra, mortua sunt.* Qua ergo libertate Henochum ex illa universali Catastrophe excipiunt isti; sic & alii Paradisum ex universali illa aquarum eluvione exceptem faciunt: ac pari

etiam utriusque ratione. Si etenim percontemur ab istis, cur illa Scripturae veritate Henoch ab interitu excipiatur, tamen in Arca non esset, illico reponunt, Scripturam universos Homines carnalem vitam degentes consumptos dicere, quia *omnis caro corrumperet viam suam, Genesis cap. 6. quorum e numero Henochus non erat.*

Recte quidem: at cur non alii quoque reponant, Scripturam Terram universam peccatricem aquis Diluvii immerfam asserere? Qua certe forte computandus non esset Paradisus terrestris. Sic ergo par utrinque remanet Difficultas.

Paria etiam utrinque Miracula supponenda veniunt. Nam & illi ipsi, qui Paradisum aquis Diluvii immersum volunt, ne Miraculum comminisci videantur, quo aquae Diluvii extra Paradisi terrestris claustra continerentur, aliud Miraculi genus fingunt, quo Henochum incolumem servent. Sunt etenim, qui velint Henochum in aëris Oras aquis Diluvii superiores sublatum esse, ac suspensum in aere toto illo eluvionis anno permansisse: alii eum inter medios Diluvii vortices, inter aquarum motus servatum comminiscuntur, uti Jonam in profundo Maris, ac ventre Ceti. Nonnulli Arculam, ubi clausus servaretur, ipsi ab Angelo fabricatam arriolantur: sic ut plura isti Miracula admittere compellantur.

Sed demus, Diluvii aquas Paradisum terrestrum invasisse, & Henochum Divinae Providentiae servandum committamus: quorsum, amabo, inde concludunt, Paradisum funditus periisse? Cum aquis recedentibus, & Solis calore exsiccatis, in pristinum statum, paucis immutatis, redire poterit. Siquidem Plantarum, Herbarum, & Arborum, quibus confitus erat Paradisus, nativa virtus suis radicibus haest. Certe Diluvii tempore Arbores multas mansisse integras, etiam extra Paradisum, plus fatis ostendit emissis Columba, quae Olivae vitis ramum in Arcam reportavit. Probat & ipsa ratio; nec enim Arborum, Plantarumque Species interierunt; alias, transacto Diluvio, novas creare necesse fuisset. Nihil itaque ex illa Diluvii eluvione colligi certo potest, ut Paradisus terrestris destructus omnino, atque vastatus asseratur.

Duo sunt, quae reponant: primum; si ab aquis Diluvii servandus erat Paradisus terrestris; quid ergo tam operosam Arcam fabricari necesse fuit; cum illic Familia Noe, omniumque animalium Species commodius servari potuissent? Alterum; cur a nemine in hanc usque diem detegi potuit?

Quod primum attinet, non ii profecto sumus, qui Deo consilium demus, ut id, aut illud agat, prout ingenio nostro aridet, probaturque magis: *quis enim*, inquit Apostolus *ad Rom. cap. 11. cognovit sensum Domini? Aut quis consilium eius fuit? Quamquam & dici possit, Paradisum innocentiae, felicitatis, & immortalitati consecrarum esse; nec idcirco congruum fuisse, ut Homines mortalem vitam agentes, & peccatis obnoxii, ut erat Noemi Familia (peccato enim saltem levi aliquo tenebatur) in illum admitterentur.*

Quod porro nullus in hanc usque diem felicem illam Oram appulerit, Divinae Providentiae deputandum est, quae id nolit; seu Regionem illam inaccessible montibus cinxerit; seu intractabilis maris sinu vallaverit; seu vicina loca, quibus in Paradisum esset iter, aestu, aut frigore horrentia posuerit; seu (quod opinari fatius est) homines a tam fulto consilio arripiendo, qua valet in stectendis animo, potestate dimoveat.

Id itaque de celebri illa Controversia pronunciamus: neutram videlicet partem ineluctabilibus niti Fundamentis; neutram vel ex Scripturis, vel

ex

ex Patribus aperte definiri; remque totam ad occulta Dei Judicia referendam esse. Sequenti vero Exercitatione de Arboribus Scientiae, & Vitae Quaestio fiet, omnesque Difficultates ad Theologiae Institutum spectantes unica Praelectione complectemur, & enodabimus.

## PRÆLECTIO XII.

De bina Paradisi terrestris Arbore (Scientiae, & Vitae) disseritur.

DE Arbore Scientiae boni, & mali, quam Deus Protoparentibus interdixerat, sermonem mihi nunc habituro id statim occurrit animo, quod Moyses Barcepha tam stulte, quam impie somnavit: eam scilicet Arborem Scientiae boni, & mali Arborem ex Metaphora dictam esse; nihilque re ipsa fuisse, nisi Conjugii usum, seu carnalem copulam, quam Deus Adamo, & Hevæ vetuisset; ne scilicet carnalem haberent copulam, donec ipse juberet: eaque idcirco ratione subinde factum, ut carnalis concubitus cognitio vocitetur Sacris in Litteris, ut dum dicitur *Genesis cap. 4. Adam vero cognovit Uzorem suam Hevam, quae concepit, & peperit.* Insulsum adeo Figmentum abunde refellit Scripturae Contextus, qui & veram Arborem fuisse significat, & rem a carnali copula toto Caelo diversam: vidit igitur Mulier (inquit Scriptura *Genesis cap. 2.*) quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit; deditque Vivo suo, qui comedit: quae verba rem sonant a copula conjugali plane distinctam. Quare frustra in eo Figmento Rabbinico confutandum luderem operam.

Religiosus de ea Arbore Christiani sentiunt, qui eam veri nominis Arborem fuisse putant, tamen in illius Specie designanda varias in opiniones abeant, quas definire, difficillimum sit. Theodoretus *Interrogatione 28. in Genesis*; S. Isidorus *Pelusiota Lib. 1. Epist. 51.* alique non pauci veritatem Protoparentibus Arborem Ficum existimant ea praesertim ratione ducti, quod illi statim admisso peccato confuserint folia Ficus, & perizomata sibi fecerint. Verum quidni potius oppositum ex hoc ipso Argumento colligamus? Quandoquidem verumillimum est, statim, errore agnito, ita illos vetitae Arboris horrorem incessisse, ut ne illius quidem folia contrectare voluerint, nec in usum vestis sibi componere, ne quid sibi pejus arcefferent.

Accedit; quod Fici minus ea verba conveniant, quibus Arbor vetita descripta est a Moysese: *lignum pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Est enim Ficus, ut scitis, Arbor distorta, scabra, incurva, nihil oculis gratum praesferens. Nisi quis forte fingere velit, Deum primo quidem Ficum creasse arborem nobilissimam, oculis pulchram, aspectuque delectabilem; postea tamen in eam indignatum, quod illius fructus Protoparentes comedissent, quasi in vindictam, & ultionem Arborem illam incurvasse, torsisse, deturpasse: ad eum ferme modum, quo Serpentem, cuius ministerio Diabolus usus erat ad tentandos Protoparentes, male multavit Deus, pedibusque privatum super pedes suum gradi fecit, cum antea rectus incederet.

Alii veritatem Arborem Malum fuisse, seu Pomum communiter sentiunt; propterea quod *Contraitorum cap. 8.* dicitur: *sub Arbore Malo suscitavit re: ibi corrupta est Mater tua:* quasi Hevam primam nostrum omnium Matrem corruptam, viciaque sub Malo innoeret Textus ille. At matris nomine significari Hevam hoc loco, incertum.

Sorry Tom. IV.

tum est, vel de prima Humani Generis corruptione agi. Sed & Vox illa Malum communis, & generica est: nec modo Pomum, sed & quemlibet Fructum spirantem odorem significat. Quare compendio dixerim ego, Moysen vetitae Arboris speciem non expressisse, ne curiosius scrutaremur. Unde & ab ea Quaestione supersedendum omnino censet.

Theologos potiori titulo scire juvat, num idcirco Arbor Scientiae nuncupata sit, quod insitam a Deo naturalem Scientiae conferenda vim haberet, ingenitamque boni, malique detegendi virtutem? Et certe non desuere, qui ita sentirent; ac Viri quidem prima nota, atque subfelli; Josephus *Lib. 1. Antiq. Judaic. cap. 2.* inquit, *Arbori illi acuminis & cogitandi vim inesse;* Nemesius *Lib. 1. de Natura Hominis cap. 1;* Joan. Damascenus *Lib. 2. de Fide cap. 11;* & alii.

At longe aliter se res habet. Neque enim vis ad spirituales effectum producendum, qualis est boni, & mali Scientia, naturalis rei corporeae esse potest. Imo si haec illi fuisset naturaliter indita vis Scientiae conferenda, fallax omnino non fuisset Daemones per Serpentem loquentis promissio: *evitis sicut Dii scientes bonum, & malum;* (*Genesis cap. 3.*) nec adeo ad Protoparentum superbiam deprimentandam Invidia illi fuisset locus, qua Deus post peccatum illis illuisset inquit; *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum;* *Genesis cap. 3. vers. 22.* Non itaque ex indita Scientiae conferenda naturali virtute nomen accepit haec Arbor. Unde ergo accepit? Hoc opus, hic labor est. Quantum capio, quantum sapio, ab eventu duntaxat confectio id nominis habuit; quia Protoparentes ex ea contra Divinum Praeceptum edendo e pristino Statu deciderunt, scilicetque a Deo Interminationis veritatem agnoverunt: *in quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Noverunt tunc primum Protoparentes infelices discrimen inter bonum, quo ante peccatum fruebantur, & malum, in quod peccatum incurrerant. Licet enim speculative, ut Schola loquitur, boni ac mali discrimen nosset Adam ante peccatum; praedicta tamen, facto periculo, nosse coepit, quando peccavit.

Quantum vero familiare sit Sacris Litteris nomina rebus imponere, non ob inditas Naturae vires, ac facultates, sed ab eventu confectio, notius est, quam ut multis demonstrare necesse sit. Sic *Genesis 26.* Puteum aliquando fodit Isaac; quem cum Vicini destruere aggressi essent, jurgia non modica inter Pastores Geraræ, & Isaaci orta sunt; atque idcirco *Puteus calumniae* dictus: non quod Puteus jurgia, & inimicitias exerceret; sed quod ejus occasione simulatas inter Pastores enatae fuissent. Rursus *Genesis 21.* Puteum fodit Abraham; insidias illico paravit Abimelech; convenerunt nihilominus, inimicitias deposuerunt, praetito mutuo juramento: hinc *Puteus juramenti* est appellatus: non certe, quod jurasset Puteus, sed quod circa Puteum, ejusque occasione praestitum esset juramentum. Rursus occurrentes sibi Angelos vidit Jacob, & Castra Dei: tum locum ubi viderat, *Castra* nuncupavit (*Genesis 32.*); tamen locus ipse Castra non esset; sed ob id unum, quod illic Castra vidisset. Sic itaque *Arbor Scientiae boni, ac mali* vocata est, non quod boni, malique Scientiam congenita sibi virtute largiri posset; sed quod ejus usu Scientiae boni, ac mali facta sit demonstratio, & fatale veritatis experimentum.

Ita plane decernunt Ecclesiae Patres, S. Joannes Chrysostr. *Serm. 7. in Genesis*; Theodoretus *Interrog. 26.*; S. Basilus Seleucensis *Oratione 3. de Adam*; S. Augustinus *Lib. 8. de Genesis ad lit. cap. 6.*

K 2

cap. 6.

cap. 6. & Lib. 14. de Civit. Dei cap. 17. S. Thomas 1. P. q. 102. artic. 1 ad 4. Huic Patrum Sententia accedit proxime Ruperti Abbatis ingeniosa Sententia, qua mihi multum semper arrisit. Is scilicet Arborem *Scientia boni*, & mali appellatam existit ironicè, ac per ludibrium; ob salacem Dæmonis pollicitationem, qua futuram Protoparentibus adpromiserat, ut Scientiam boni, & mali, edendo de fructu vetito, compararent. Hinc etenim factum, ait Rupertus, ut Ironia quadam, ac derisione Arbor vetita *Scientia Arbor* appellaretur; non quod re ipsa talis esset; sed quod illam, uti talem, Tentator Protoparentibus prædicasset. ed eum sane modum, quo Adam post peccatum admittum dicitur *sciens bonum, & malum*; per Ironiam scilicet, atque ex derisione: *Eccc Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum, & malum*, (Genesis cap. 3.) quod eum talem futurum Diabolus promississet, ipseque stultissime credidisset.

Unum est, quod utriusque, tum Patrum antea laudatorum, tum Ruperti Abbatis Sententiæ repugnare videatur; quod nempe vetitam Arborem *Arborem Scientia* nuncupatam videamus antequam Adam peccatum admittet; imo & antequam quidquam illi, cuiusque Uxor Diabolus adpromitteret, illoque tentaret; sed ex ipsa die, qua a Deo plantata, seu condita est: *Produxitque Dominus Deus* (inquit Scriptura Genes. 2.) *de Humo lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave; lignum etiam vite in medio Paradisi, lignumque Scientia boni, & mali*. Ex quo colligi facile putes, non ita nuncupatam Arborem illam ab eventu postmodum consecuto, dum fatali experimento novit Adam, quid discriminis esset bonum inter, & malum; sed ex ipsa innata virtute, qua boni, malique Scientiam edentibus imperiret. Verum illatio præpostera est. Per Prolepsin enim & anticipationem Arborem, vetitam eo nomine designavit Moyses Creationem describens; tametsi id nominis post Creationem tantum, ac etiam post Adæ peccatum obtinisset. Cum etenim eo tempore Genesim scriberet Moyses, quo Arbor vetita illo duntaxat vocabulo dignoscatur, necesse illi fuit, eandem eo quoque nomine designare, dum illam a Deo creatam dixit; etsi id nominis non nisi post Adæ peccatum obtinisset: eo sane modo, quo E. G. non incongrue loquitur; si dixerit: *Petrus a Christo vocatus est ad Apostolatam*; aut etiam si dixerit: *Paulus Ecclesiam Dei persecutus est aliquando*; quanquam nec Petrus vocabatur ille, dum assumptus est in Apostolum; sed postmodum tantum; dum videlicet ei a Christo Domino dictum est: *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas*; quod interpretatur *Petrus*, (Joannis cap. 1.) nec Paulus vocabatur alter, dum in Ecclesia fureret; sed postmodum solum; dum Paulum Sergium Proconsulem vocavit ad Fidem, ut legitur *Actuum* 13.; quo tempore cepit ex eius nomine vocitari, in Heroum, ac Triumphatorum morem, qui a Regnis, atque Provinciis, quas subegerunt, nomen accipiunt. Sic ergo productum a Deo dicitur lignum *Scientia boni, & mali*, etsi, dum a Deo productum est, id nominis non obtineret, sed tantum postea; quia nulla alia loquendi formula Moyse suppetebat, dum Genesim scriberet, ut vetitam Protoparentibus Arborem legendibus indicaret. Atque hæc de Arbore *Scientia boni, & mali*.

Jam de altera Arbore Paradisi Terrestri, seu de Arbore vite dicendum est: de qua quidem paulo aliter pronunciatum existimo; ac primo; fuisse illam veram Arborem, Arboremque vite nuncupatam, quod Homines edentes diu, atque etiam in ævum servaret in vivis, reparato sem-

per Humido radicali absque ulla alteratione, & impuritate, & naturali Calore confortato, concors est Patrum Sententia; qui Homines hujus Arboris beneficio immortales futuros existimant; non ut omnino mori non possent, si vellent, quemadmodum Angeli; sed ut possent re ipsa non mori, si mori omnino nolent. Sic ergo (ut mire loquitur Augustinus Lib. 6. de Genesi ad lit. cap. 25.) *posse non mori præstatur Adamo de ligno vite, non de constitutione Naturæ; mortalitatis igitur erat conditio Corporis animalis, immortalitatis beneficio Conditoris*. Cum etenim Homines duplici de causa mori contingat; interna scilicet; hoc est, Calore naturali Humidum depellente, ac paulatim absumente; externa similiter; hoc est, nocuentis aliena vi illatis; adversus illa duo mortis incentiva Hominem communierat Benevolentia Conditoris: Arborem vite adversus primum providerat, cujus fructus instar potentissimæ medicinae Humidum refarciret, & Calorem Naturæ absque alteratione confortaret; adversus alterum externa Angelorum custodia Hominem communi-verat, ne ulla inimica vis eidem inferretur.

Duo hujus Arboris occasione vocatur in Controversiam: primum; num illi Virtus hæc Hominem perpetuo conservandi nativa esset, an supra Naturam; qualis esse solet Sacramentorum ad conferendam Gratiam vis, ac potestas? Alterum; num hæc unica tantum esset Arbor, an multiplex?

Quod primum Caput attinet, nos Virtutem illam nativam dicimus, tametsi speciali Naturæ Conditoris Benevolentia concessam. Quid enim vetat, posse Deum talem Arborem ferere, quæ vim habeat restaurandi perfecte Humidum illud nativum, & Calorem innatum confortandi? Si potuit, quid vetat afferere, id scilicet, ut eum Hominem perpetuo refoceret, quem liquet ex Sacris Litteris immortalem fuisse conditum? Maxime cum & Phœnices legamus naturaliter juvenescere apud Plinium Lib. 10. cap. 2. Imo, si Historicis fides est, in Indis a Lusitanis inventus est Homo trecentorum, & quadraginta annorum, qui (ut refert Petrus Massæus) ter ad juventutem decrepitus redierat virtute aliqua Naturali. Hanc ipsam nativam Arboris vite fuisse virtutem, Scriptura Sacra satis innuit, dum Protoparentes e Paradiso terrestri ejectionis ait, & confuturum Cherubinum, qui viam ligni vite custodiret, ne forte de eo ligno Homo ederet, æternumque viveret. Si etenim Virtus hæc non esset huic Arbori naturaliter indita, sed instar tantum Virtutis Sacramentalis, nihil ea cautela fuisset opus: solo etenim Dei nutu Vis illa cessasset, nullaque Naturæ Ordini illata injuria, Deo Gratiam retrahente, tota Virtus Arboris evanisset.

Neque vero ab ea Sententia alienus putandus est Augustinus, ut Aliqui arbitrantur, ubi Lib. 8. de Genesi ad lit. cap. 4. Arborem hanc non semel Sacramentum appellat: *erat ei ergo, in lignis cæteris alimentum; in illo autem Sacramentum*. Eo quippe Nomine Arborem vite honestavit SS. Doctor, non quod Virtute Naturam superante instar Sacramenti alicujus vim illam haberet; sed quod latiori significatione rem Sacramentum aliquam adumbraret; puta Eucharistiam; quam qui manducaverit, in æternum vivet, uti Christus Fidelibus adpromissit; aut etiam Felicitatem æternam Martyribus adpromissam, juxta illud *Apocalypsis* 2. *Vincenti dabo edere de ligno vite, quod est in Paradiso Dei mei*. Augustini mentem in aperto ponit, quod Capite sequenti addit SS. Doctor; Apostolum scilicet ad *Ephes.* 5. pari ratione conjunctionem Adæ, & Hevæ, Sacramentum magnum in Christo, & in Ecclesia nuncupat-

*Num Solis Terræ fructibus, an etiam Carnibus, Piscibusque ante universale Diluvium Homines vescerent, non ita de facili defini posse, affirmare: posteriori tamen Opinioni probabilitas major adscribitur.*

Uti ergo naturalem Protoparentum conjunctionem non inficiatus est D. Paulus, tametsi eam Sacramenti nomine nuncuparit; quod nempe Christi, & Ecclesiæ conjunctionem adumbraret; ita nec Augustinum nativam hujus Arboris vim negasse censendus est, quamquam eam Sacramenti nomine designarit, quod & illa Sacramentum aliquod præsignaret.

Majus forte negotium faceret, quod addit idem SS. Doctor cap. 5. *talem tamen illam Arborem præstitisse (cidum) quo corpus Hominis sanitas stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta; & paulo infra: per alicujus Arboris cibum ejusdem altioris significationis Gratia Homini Deum præstitisse, ne corpus ejus vel infirmitate, vel ætate in deterius mutaretur, aut in occasum etiam laberetur*. Ubi Sacramentum in inspiratione salubritatis occulta, & in quadam altioris significationis Gratia positam docet.

Sed & id exponi commode potest; nam primo loco nonnullam inspirationem agnoscit salubritatis occulta, qua Voce singularem quidem, & excellentem Virtutem agnoscit, tametsi intra Naturæ vires constitutam; quod & nos ultro damus. Secundo altioris significationis Gratiam ea in Arbore proficere; sed significationis, inquit, non Virtutis. Aliud quippe est, Arborem altioris Virtutis Gratia valuisse, quod diffitemur; aliud altioris significationis Gratia excelluisse, quod ultro concedimus; cum Eucharistiæ Sacramentum ea Arbore significatum esse fateamur.

Quod ad alteram Quæstionis partem attinet, Arborem vite unicum fuisse in Paradiso verosimilius existimo: id enim Scripturæ verbis est consonum magis: *Lignum vite*, inquit, *in medio Paradisi*. Neque vero pluribus erat opus, cum duo initio tantum essent Homines; & una illa, etsi multo plures Homines extitissent, abunde sufficeret. Neque enim ex illa quotidianus cibus sumendus fuisset; sed medicinalis identidem, atque ex occasione tantum ex ea Arbore decerpendus erat. Aucto tamen Humano Genere, si Status Innocentia perennasset, nihil vetat affirmare, hanc Arborem propagatum iri five in Paradiso, five forte extra Paradisum: ad eum sane modum, quo cæteræ Arbores propagantur. Hincque colligere facile est, quam absorta fuerit quorundam Interpretum Opinatio, qui Homines, tametsi primævam Innocentiam custodissent, tractu nihilominus temporis morituros fabulantur, veterascere scilicet Arbore vite, ac penitus pereunte. Quod enim præstare nequivisset Arbor unica, a hæc ex eadem propagata præstitissent. Id ni dicamus, nutat Ecclesiæ, & Scripturarum Fides, secundum quam certo credimus, Homines, nisi peccassent, immortales exituros; *Quoniam Deus mortem non fecit*. . . . inquit Sapiens, *sed Impii manibus, & verbis accerserunt illam*; Sap. cap. 1. ac rursus Apostolus ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes Homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt*.

Superest, ut instituta de Paradiso Terrestri Tractationi coronidem imponamus jucundæ æque, ac perdifficilis Quæstionis enodatione: quis fuerit primis Parentibus Ciborum usus? Carnibus ne, piscibusve, an solis oleribus fructibusque vescerentur? Qua de re in subsequentibus sermo erit, ut inde ad alia gressum faciamus.

Quæstionem aggredimur de quotidiano primorum Parentum, illorumque Filiorum, atque Nepotum Cibo; quam, si velimus Sanctorum Patrum, Scriptorumque prophatorum Suffragis definire, nullo negotio, nullaque mora expediemus. Verum, si Sacramentum Scripturarum Oraculis rem totam expendere juvat; diu, multumque desudabimus, ut quid certo, tutoque in partem alteram pronunciemus, Patrum una pene Sententia est, Protoparentes, illorumque Filios, ac Nepotes Carnium, Pisciumque esu penitus abstinnisse, herbis, oleribus, fructibusque contentos; nec nisi transacto Diluvio, post annos scilicet mille sexcentos quinquaginta sex ab Orbe condito Animalium esum invaluisse. In eam Sententiam pedibus, manibusque veniunt S. Joannes Chrysostomus *Homilia* 27. in *Genesim*; S. Hieronymus *Lib. 1. adversus Jovinianum*; Theodoretus *Interrog. 55. in Genesim*; S. Thomas 1. 2. *quest. 102. art. 6. ad 2.*; Boetius *Lib. 2. de consolatione Philosophiæ*, *metra 5.*; alique bene multi, quos recensere longum esset.

Neque vero Ecclesiæ Patres duntaxat in eam Sententiam conspirarunt: præverunt etiam Scriptores Ethnici; qui, cum primorum Parentum felicitia tempora sub prophana Auræ Saturni Ætatis titulo descripsissent, Homines fructibus tantum, & oleribus vesci solitos pronunciarunt. Hinc illud Ovidii *Metamorphoseos* Lib. 1.:

*Contentique cibis nullo cogente creatis  
Arboris fetus, montanaque fraga legebant,  
Cornaque, & in duris herentia mora tubetis,  
Et qua deciderant paula Jovis arbore glandes*

Ac illud rursus *Libro* 15.; ubi & Carnium esum prima illa Ætate insolitum, & venationem, ac piscationem interdictam describit Ovidius ipse:

*At vetus illa Ætas, cui fecimus Ævea nomen,  
Fovibus arboreis, & quas Flumens educat herbis  
Fortunata fuit: nec poluit ora cruce.  
Tunc & Aves tua movere per aera pennas,  
Et Lepus imparvidus mediis erravit in arvis  
Nec sua credulitas Piscem suspenderat hamo.*

Quibus verbis primæ Ætatis Homines fructibus tantum, herbis, atque oleribus victasse significat Ovidius; non item Carnibus Piscibusque; imo nec in usu fuisse tunc Venationem, & Piscationem, ut Feras Piscesque in cibum sumerent.

Verum, si Scripturarum Sacrarum Oraculis Difficultatem metiri velimus, non ita facile occurret, quid ea in Controversia defini, ac statuto certo possit. Ita quippe gravia hinc inde militent Argumenta, ut vix pedem figas, nisi temere. Carnium esum nullum ab Orbe condito ad Diluvium usque extitisse, imo & re ipsa a Deo vetitum esse, non innuit modo, sed pene demonstrat Oraculum illud *Genesim* 1. ubi Deus Protoparentes recens creatos sic alloquitur: *Eccc dedi vobis omnem herbam asserentem semen super Terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam*. En præscriptum Cibi genus; herbas scilicet, & arborum fructus: cum e contrario *Genesim* 9. Carnium

nium est nova velut indulgentia concesserit Deus Noemo ejusque Filiis, duntaxat transacto Diluvio, dum ait: *omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera videntia tradidi vobis omnia*. Quasi diceret: haec olera videntia in cibum habuistis; jam nunc Animalium carnes perinde, ac olera vobis indulgeo. Quae verba adeo explicata Patribus visa sunt, ut iis se potissimum ad vulgarem illam Carnis ante Diluvium vetitae Sententiam amplectendam adductos fateantur.

Nihilofecius, si alia, eaque non pauca, pensitemus passim Sacris in Litteris insinuata, multum sane adversa Sententiae probabilitatis accedet, ut Carnes jam a primo Mundi diluculo in usu fuisse colligamus. Singula minutatim disputationamus; ac primo quidem statim admissio Protoparentum peccato fecit quoque Dominus Deus Adae, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos; Genes. 3. Quin & hujusmodi pellibus Filii, ac Nepotes Adami vestiti sunt, donec Lanificium, & Ars Textoria inventa esset. Ex tunc ergo maclabant pecudes. Si vero maclarunt pecudes, ut ex earum pellibus vestes sibi aptarent; an credibile est, quod earum Carnes saluberrimas, quas Deus creavit, ut perciperentur cum gratiarum actione, proindeque non rejiciendas, volucris, ac feris vorandas projicerent? Non id certe crediderim ego?

Rursus: suis Abel Pastor ovium; Genes. 4. alique antediluvianum Patriarchae greges aluerunt, & curavit magno admodum numero. Cur vero tanta ovium, aliarumque pecudum ad Humanam sustentationem corporis congruam cura, si nunquam illarum carnibus vescerentur? Fortasse dicent Aliqui, curasse illos pecudes, ut lac emungerent, vestesque sibi ex earum vellibus aptarent. Sit ita: at si nulli alteri usui pecudes illis fuissent, quae tanta necessitas erat pecudes numero propemodum infinito pascendi curandique ob pauculum illud emolumentum, ac lucrum? Et si lac ovium comedere poterant Adae Filii, ut isti concedunt, quamvis eo Scripturae loco, cui Pars adversa nititur, Deus lac ipsis in cibum minime designasset; quidam ergo & carnes illarum edebant?

Addo, quod Sacrificia Deo ex animalibus offererentur Homines ab ipsa prima Mundi Etate, ut ex Abelis Sacrificio perspicuum est, qui Deo Opt. Max. obtulit de primogenitis gregis sui. Nec Holocausta duntaxat Deo Homines offererent, in quibus Victimae totae igne consumebantur; sed & Sacrificia propitiatoria, atque pacifica, in quibus Victimarum partem in usu offerentium cessisse credibile est, ne viderentur velut a Consecratis abstinere, ut loquitur S. Chryostomus. Nulla itaque Lex vetabat, ne Carnes in cibum assumerent prima illa Etate.

Quid plura? Mundorum, & immundorum animalium discrimen ante Diluvium notum erat, & usitatum. Aberrant siquidem toto ostio, qui putant, hocce discrimen a Lege duntaxat Mosaiica incepisse; ait quippe Deus ad Noe, & Filios ejus, sexcentis scilicet annis ante Moysen, Genes. 7. *ex omnibus animalibus mundis tolle septena, & septena, Masculum & Feminam: de animalibus vero immundis duo, & duo, Masculum, & Feminum*. Munda vero intelliguntur animalia, quorum frequens, & quotidianus erat usus in alimentis, & Sacrificiis; immunda vero, quae Hominum victus naturaliter refugit; quaeque idcirco prophana ab Ethnicis etiam Scriptoribus non semel appellata fuere. Divina enim inspiratio, quae Patriarchas ab initio Mundi usum Sacrificiorum docuerat, ea potius animalia Deo in

Sacrificium offerenda designaverat, quae pro optimis, & praestantissimis haberentur in alimentum; non illa, quae in visu Homines averfarent. Si ergo haec mundorum, & immundorum animalium discrimen nota erat ante Diluvium, edendorum igitur, & non edendorum animalium discrimen compertum erat; adeoque nonnulla animalium genera ad esum assumbantur.

Demum, si animalia maclare, atque occidere ad esum nefas fuisse, profecto, iis multiplicatis, maximum extitisset periculum vastationis segetum, praecipue ab animalibus ferocibus, ac rapacibus. Sic ea Carnibus vescendi Licentia ex hoc etiam Capite congrua foret, ne damnum ingens ex Ferarum multitudine Homines paterentur.

Iis coronidem imponit Doctoris Angelici ratio non praetermittenda 1. par. quest. 96. artic. 1. ad 2.; ubi ait: *non enim per peccatum Hominis, natura animalium est mutata, ut quibus nunc naturaliter est concedere aliorum animalium carnes, tum vixissent de herbis, sicut Leones, & Falcones*. Ex quibus liquet, quod, cum naturale sit modo Hominiibus etiam vesci Carnibus, semper hoc ipsum in usu ipsis fuerit; cum neque Natura Hominis sit immutata aliquando quantum ad id, quod est ei naturale. Plantae siquidem naturaliter utuntur terra ad sui nutrimentum, Animalia vero plantis, Homines plantis, & animalibus. Unde & Monachi, qui religiosam a Carnibus abstinentiam profitentur, cedunt naturali juri ad penitentiam. Quocirca & Philosophus 1. Politicorum cap. 5. ait, venationem silvestrium Animalium, & piscationem nedum justam, sed & juris esse naturalis; quia per eas Homo sibi vindicat, quod naturaliter suum est. Quis porro putet, Deum annis mille sexcentis quinquaginta sex, quibus secundum Naturam Legem vivebant Homines jus illud ipsis naturaliter afferunt Carnes edendi interdixisse? Certe nihil expresse, distincteque primis Parentibus vetitum lego, nisi fructum Arboris Scientiae boni, & mali; hoc uno Interdicto tentatam Hominum obedientiam lego hac prima Mundi Etate. Nihil aliud, quod cibos attinet, interdictum observo, nil vetitum.

Neque enim, quod ab adversa Parte in sui praesidium afferri solet, Interdictum ullum, ne alios cibos sumerent, praefert, si penitus perpendatur. Quid enim? *Eccce dedi vobis* (sunt haec Dei verba, quibus illi nituntur) *omnem herbam afferentem semen super Terram, & universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam: & cunctis animalibus Terrae, omnique volucris Caeli; Genes. cap. 1.* Bene est: sed hic nulla aliorum ciborum inhibicio facta est: cum nulla excludens Particula in ea designatione ponatur. Equidem declaratur, quis futurus esset cibum Homini convenientem in herbis, fructibus, & oleribus, sed sine alterius cibi exclusione, sine alterius Interdicto. Et certe, si haec ciborum designatio a Deo tunc facta cujuscumque alterius cibi, ac maxime Carnium inhibitionem includeret; cum haec Dei loquentis verba non solos Homines, sed Jumenta etiam, & Volucres spectent; ait enim, *ut sint vobis in escam, & cunctis animalibus Terrae, omnique volucris Caeli*; consequens esset, Deum Carnium esum brutis etiam Animalibus, ac Caeli Volucris prohibuisse. Quod quis credat? Deum scilicet Legem posuisse Animalibus plerisque, & Volucris ipsorum Naturae contrariam; ne scilicet Carnibus vescerentur. Quis enim nefariat, Animalia bene multa ex ipsa sui Natura esse carnivora; uti Leones, Lupos, Canes, Tigrides, Vultures, Accipitres, Corvos, & alia longe multa, quae numerare longum esset? Haec, ergo

fructuum, herbarum, & olerum designatio, ea ad cibum congruere, bene probat; ac ceteros idcirco cibos non interdicat.

Sentiant hujusce Difficultatis pondus adversa Sententia Vindices; utque ab ea se liberent, quid illis putatis venit in mentem? Lupos, Corvos, Vultures, aliaque id genus Animalia Carnivora ob Dei Praeceptum herbis primitus victi- tate comminiscuntur; ac tunc primum coepisse vesci Carnibus, cum Diluvium transactum est. Figmentum illud, uti absonum, exufflat Doctor Angelicus 1. par. quest. 96. artic. 1. Quasi vero tractu temporis brutorum Animantium Natura immutata sit; eaque nunc a Natura vesci carnibus postulent, quae a Natura herbis primitus vescerentur: cum nequidem propter peccatum, Daemonum, Hominumque Natura, eorumque naturales Facultates fuerint immutatae, ut supra dicebamus.

At iniquum: Animalia rapacia feno, frugibus, alioque obvio, & parabili cibo vescerantur toto anno illo, quo in Arca Noe reclusa fuerunt: quidam ergo & eo cibo perpetuo alerentur ante Diluvium? Consecutio profecto absurda est: neque enim necesse est, ut si quid occasione quadam, & extrema urgente necessitate, speciali quadam Dei Providentia, ac pene Miraculo factum est, id propterea solito, ac perpetuo fiat. Sed neque id omnino certum est, quod ii tanta fiducia venditant; carnivora scilicet Animalia feno tunc, frugibusque victi tunc in Arca Noe; ac non potius Carnes pro Naturae suae conditione manducasse. Ea de re vehementer dubitavit Augustinus Lib. 15. de Civitate Dei cap. 27. num pro iis alendis certum ovium, ac pecorum numerum paraverit Noe; ac autem divinitus admonitus aptam cuique generi Animalium alimentum sine Carnibus destinaverit. Ut ut est, Miracula in Exemplum trahere absonum est: alias cum ingentem feritatem Animalia deposuissent, ut Noemo colla subderet, pari ratione colligi poterit, nullam ab Orbe condito ad Diluvium usque fuisse Animantibus illis ingentem feritatem.

Addam ad cumulum solutionis decantatissimi Argumenti, verba haec ab adversa Sententia Defensoribus adeo jaecitata: *ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super Terram, & universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam* (Genes. cap. 1.) haec inquam verba a Deo duntaxat dicta esse Protoparentibus ad excludendum fructum Arboris vitae; non ad excludendum esum Carnium, pisciumque. Cum etenim Deus Protoparentum obedientiam probaturus fructum illis peculiarem cuspiam Arboris prohiberet, iidem significavit, se omnes alias arborum, olerum, herbarumque species licitas facere, hac una duntaxat excepta Arbore, quae ob id ipsum Arbor vitae communiter dicta est. Ceterum quid ex aliorum ciborum genere licitum illis, vetitumve faceret, non erat tunc declarandum, cum ex eo genere nihil exciperet.

Quorum ergo, inquiet aliquis, Noemo post Diluvium duntaxat ait Deus: *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera videntia tradidi vobis omnia* (Genes. cap. 9.) si prius etiam, quod movetur, & vivit, in cibum sumere licitum erat?

Responso in promptu est; dictum id esse, ut quod ante Diluvium tacite tantum licitum erat, & ut cibum minus primae Conditioni robustae, ac validae convenientem, ac necessarium, post Diluvium aperte, & ut cibum Naturae jam debilitatae convenientior, necessariusque permitteretur. Cum

enim ob Terrae Diluvio vastatae sterilitatem minus tunc esset succi, atque virtutis in herbis, fructibus, & oleribus ad fovendam Mortalium vitam; aliunde vero infirmior esset Humanorum corporum habitudo; uti contrafior post Diluvium Hominum vita demonstrat; Carnes jam Piscesque, veluti congruentiores, vulgaremque cibum, Providentissimus Deus ipsis, ac Posteris designavit.

Quidni quoque dicamus ad planiorem obiectae Difficultatis solutionem, in iis Dei verbis Noemo dictis *omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum*, si cum sequentibus conjungatur, novam Concessionem, novamque Facultatem minime contineri; quasi tunc Deus Animantia comedere concessisset Hominiibus, quae antea prohibuisset; sed potius limitationem restrictionemque contineri Facultatis, atque Licentiae ab initio Mundi concessae? Sic enim loquitur Deus: *omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera videntia tradidi vobis universa, excepto quod Carnem cum sanguine non comedatis* (Genes. cap. 9.) quasi dicat: omne, quod movetur, & vivit, perinde ac olera, indiscriminatim etiam cum sanguine haecenus comedistis: imposterum haec ipsa etiam in cibum habebitis; ita tamen, ut Carnem cum sanguine non comedatis. Quare tantum abest, ut ex iis Dei verbis Noemum alloquentis extundi possit, Carnes ante Diluvium in usu non fuisse; ut potius inde colligatur, magis antea in usu fuisse, quam postea: quippe antea Carnes etiam cum sanguine edebant Homines, quas sine sanguine jussi sunt edere post Diluvium.

Erit fortasse, qui in hac ultima Sententiae nostrae probatione difficultatem aliquam patiatur; putetque, falsum id esse, quod ex Doctore Angelico, & Aristotele comprobavimus, venationem nimirum, & piscationem juris esse naturalis; atque ita ante Diluvium invaluisse, ut & Piscium, & Animalium silvestrium Carnibus vesci possent; propterea quod piscationis, & venationis faciendae Facultas a Deo concessa legatur Noemi Filiis post Diluvium; Genes. cap. 9. *Terror vestest, ac tremor sit super cuncta animalia Terrae, & super omnes volucres Caeli cum universis, quae moventur super Terram: omnes pisces Maris manus vestrae traditi sunt*.

At, si locum illum penitus, & intus expendimus, comperiemus facile, non esse tunc novam concessam Homini Facultatem, atque Licentiam, sed pristinam, qua antea naturali jure fruebatur Homines, confirmatam, & comprobatam. Quod certe ex verbis praecedentibus patet: ait enim Deus ad Noe, & Filios ejus: *crescite, & multiplicamini; & replete Terram. Et terror vestest, ac tremor sit super cuncta animalia Terrae*. Sicut ergo nemo dixerit prudens, novam tunc Filios procreandi, Terramque multa prole replendi Facultatem, atque Licentiam fuisse datam; pari quoque ratione affirmabit, nec novam tunc temporis Homini Facultatem concessam, sed pristinam, qua fruebatur, comprobata, ac repetitam.

Ergone, reponet Aliquis, Ecclesiae Patribus oppositum sentientibus, Carneque tota prima Mundi Etate veritas opinantibus nuncium mittemus; iisque valere jussis, Scripturam pro arbitrato interpretabimur? Absit. Oppositam Sententiam aliorum, imo & plurium Patrum esse, certo scimus; sed Facti Opinio illa cum sit, non Dogmatis, vel ad Dogma ullo modo attinens; neque Sententiam nostram uti omnino certam, sed ut probabilem duntaxat asseramus, oppositamque in sua probabilitate relinquamus, non video, quale nobis crimen imputari possit, si in eam Sententiam descendimus, quae Scripturae Sacrae magis consona visa vobis est. Pugnans etiam hinc inde Scri-

Scripturarum Interpretes, ac Theologi celeberrimi: litant pro nobis Cajetanus, Franciscus Vi-

Tempus est, Viri Theologi, ut exposita Pro-

Neque vero puteris, dum istam provinciam

Controversiæ ventillantur; recula, nenæ, fatuæ



TRACTATUS TERTIUS DE VARIIS HUMANÆ NATURÆ STATIBUS:

PRÆLUDIUM.

Variis Humanæ Naturæ Status explicantur.



Ravissimis Controversiis, quæ de Mundi Opificio, primis Parentibus, Paradiso Ter-

Quocirca ut ab ipsamet prima rerum exponen-

rari debeat; sed miro ordine, docilitate, consen-

His itaque prælibatis, ad Quæstiones, quæ cir-